


NUMMI OBSIDIONALES
MIDDELBURGENSIS CIVITATIS AB
Aurantianis obsessæ, occupatæ: Anno
Christi 1573.



ILHELMUS Auraicus, cum confœderatis Belgicæ statibus, qui paulò ante arcem Ramensem, & Middelburgum Zelandiæ caput commeatu prohibere conati fuerant, jam omnes littoris angustias superaverant, ita ut arcem quasi obsidione utrumque locum, exiguâ tamen manu, premerent. Jamque Middelburgenses de salute anxij, flammante tædis subobscurâ nocte, vicinum Albanum suæ penuriæ commonefacere, & subsidia ac commeatum poscere: dum Santius d' Auila classe recens instructâ, per medias hostium turmas, quamvis non sine gravi jacturâ, irruit, & obsessis de rebus necessariis prospexit. Præerat obsessis Christophorus Mondragonius, vir bellicâ gloriâ illustris, qui commeatu & auxiliaribus signis auctus, urbi & Regi fidelem operam præstabat. Albanus verò, qui se Noviomagicontinebat, de liberanda urbe cogitans, egregiam classẽ Antuerpiæ & Bergij ad Zomam apparat, omni Ebibatarum, tormentorum, commeatus, & peditum genere communit, eique Beauuosium Archithalassum præficit, qui solvens adverso vento & flumine in hostium classẽ irruit. At hi, ut loci illius vadosi, ita nauticæ rei peritissimi regiones aggressi, magnâ clade affecerunt: cum q; jam crebri fluctus se inveherent, & navium hinc proras, illinc latera & carinas barbara elementa pulsarent, subductis velis acre commissum est proelium, quo inferiores Regij viciniore portus, prout fors tulit, occuparunt. Interca arx Rammekens natura loci munitissima Orangijs deditur. Augusti: quæ res non parum animos Middelburgensium afflixit. Porro Requesenius sui regiminis initium ab hac curâ orditur: ut Middelburgensibus extremâ patientibus, milite ac commeatu subveniret. Posito igitur in præparatas rates exercitu, in hostem cursum dirigit: à quo mox profligatus, ut ne applicati quidem obsessis rates possent, adverso vento pluribus suorum